



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De  
Contractibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDCCXXXIII.**

**VD18 90392159**

Q. 20. An qui dubitat utrum dolvit debitum, tenetur adhuc illud integrè  
solvere, si certo scire nequeat se solvisse?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40993**



dubio, & pari causa potior est conditio possessoris bonæ fidei.

*Resp. IV.* Quando nullus eorum, de quibus dubitatur, an sint Domini rei, rem possidet; si dubium sit æquale, res æqualiter inter illos dividi debet, vel si dividi nequeat, ejus pretium, nisi forte ex eorum consensu agatur; nam non est ratio uni totum, vel plus, aut minus adjudicandi. Si longè probabilius sit ad unum illorum totam pertinere, tota ei est adjudicanda, uti adjudicaret æquus iudex re ita cognita.

*Q 20.* An qui dubitat, utrum solverit debitum, tenetur adhuc illud integrè solvere, si certo scire nequeat se solvisse.

*Resp. Aff. Est communis.* Quia 1. debito certo non satisfit per solutionem non certam, nam solutio dubia non est æqualis debito certo: Justitia autem æqualitatem exigit. 2. In eo casu pro debito stat possessio. 3. In foro conscientiæ judicare debemus de rebus istis sicut prudens iudex cognita veritate, & inspecto jure naturali judicaret in foro externo: nam forum internum debet sequi sententiam fori externi, nisi constet externum niti præsumptione falsa. At in foro externo debitor cogetur solvere debitum certum, nisi probet solutum esse, etiamsi creditor fateatur se de solutione dubitare, nec eam recordari.

Nec dicas in dubio meliorem esse conditionem



item possidentis. Nam 1. hoc non est verum, nisi quando in ceteris par est causa possidentis, & non possidentis; nam regulæ juris parem causam exigunt ad meliorem conditionem possidentis. 2. Creditor possidet jus exigendi, & accipiendi solutionem debiti sui, quo jure spoliari non debet in dubio. Nec refert, quod debitor pecuniam solvendam possideat: nam dubium non versatur circa ipsam pecuniam, cujus sit, sed circa Jus exigendi debitum, an adhuc sit, cum autem Jus illud certò extiterit, & non constet de ejus extinctione, creditor possidet durationem Juris illius. Ita De Lugo, Sanchez, &c.

Q. 21. *An est contra Justitiam prodere alterius secretum suæ fidei commissum, & obligatio resarciendi damnum inde secutum?*

Resp. Aff. Est commun. Quia quilibet habet Jus, ne ejus secreta detegantur; estque mortale, si arcanum sit gravis momenti, vel inde grave damnum proximi, aut discordiæ sequi possit unde illud Eccli. 27. *Qui denudat arcanum amici, fidem perdit... denudare amici mysteria desperatio est anime infelicis.*

Quare non licet arcanum etiam à privato creditum sine ejus consensu alteri aperire etiam ex præcepto superioris, nisi aliâ viâ cognitum sit, *quia servare fidem est de jure naturali*, ait S. Thom. q. 70. a. 1. ad 2. nihil autem potest præcipi, nec fieri contra id, quod est de jure naturali.

Excipe